quod non sunt; quod autem sunt, dici nolunt, sed suam
improbitatem amictu nominis tegunt, qui commune qui=
dem habent nomen, student vero, ut nomen Christi fun=
ditus deleant, qui contra Jesum militant, et Jesum invo=
cant. Haec est difficillima omnium improbitas, nomine
Christi appellari, et Christum oppugnare. Etenim quia
non potuit perversitas contra Deum bellum gerere, u=
sa est nomine, ut usu nominis opinionem imprudenti=
bus injiciat, ut quasi Christi familiaris hic et illic,
ut libet, eos, qui in Salvatorem crediderunt, perdat.
Hic Valentinus exivit, hic Marcion, hic Sitianus. Ali=
unde vero etiam Phanius. Postrema abortio impro=
bitatis, quae omnes aliorum improbitates extenuavit, et
majore improbitate aliorum improbitates in secundis po=
suit, furor Manichaei est: et in Prophetis scriptum est,
propter nimiam negligentiam Hierusalem, justificata
est ex te Sodoma. Multae quidem paulo ante opini=
ones absurdae et falsae extiterunt, quae cum magni=
tudine pravae opinionis Manichaeorum comparatae, mo=
deratae sunt, cum sint alioqui in pelagus immen=
santis pravitatis demersae. Et ut non leviter absurda
refellere aggrediamur, et nominibus eorum tantum usi
videamur sine conclusione argumenti, quae est ἀπόδειξις,
ad eorum accusationes accedere, age, conferamus nos ad
rationem demonstrantem, ut illorum errores solvamus, et
veritatem in medium proferamus. Est igitur vitium expers sub=
stantiae, et non per se existens, actio potius quam essentia: si=
ve substantiae actio, ex electione proficiscens eorum, in quibus
electio aegrotat atque actio, quae accidit quidem, facile ve=
ro ab iis qui aegrotaverunt, abscedit. Si vero accidisset quidem,
sed non abscederet, dici posset, non esse quidem per se vitium, neque
posse tamen substantiam esse unquam absque vitio. Quod si accidit electio, facile se=
paratur, ut rursus quod vitio subjectum erat, purum reddatur, neque
vitii